

Dein Cantus quidam Nuptialis hoc tenore :

Vfus uite ueteris arma tulit ueneris

Grauibus legibus subditus amoris.

Omni fruens cipride tryplici caryptide

Placui florui puellarum coris.

Nunc bellone milito afros fluxus fugito

Uinculo cingulo abstrabor et loris &c.

LXXII. VIII B. 5

105 Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. nunc 56. f. caractere luculento scriptus exhibet *Angelomi Luxoviensis in Burgundia Monachi et Levitae O. S. B. Scriptoris Sec. IX. cujus et in Cantica, et in Libb. Regg. habemus Stromata, Commentarium in Genesin inscriptum Leodrico cuidam sacerdoti hoc initio: Eximio Patri Moribus (l. et floribus) uirtutum fulcito. sapientieque nitore ornato. Leodrico sacerdoti. Angelomus humilis leuita. Postquam gazophilatia ac thesauros quatuor euangeliorum que omnibus diuinarum scripturarum paginis sua merito auctoritate precellunt. scilicet egregio domino permittente. ac imperante abbate. subtili indagazione domino largiente in quantum quiuimus rimati sumus. uidelicet magistro uiro quidem eruditissimo mellilico (al. Melino) sacerdote &c. Abbatem intelligere videtur Drogonem ex Coenobio Luxoviensi ad Metenses infulas promotum Caroli M. filium ✠ a. 855. quem et in Libb. Regg. Abbatem suum egregium appellat. Codex noster, qui sine Capitum divisione perpetuus decurrit, deficit in haec verba C. XLVIII.*

Gen. qui non accipient separatim terram. Integrum vero edidit Angelomi hunc Commentarium ex Cod. Monast. S. Petri Salisb. diligentissimus Bern. Pezius in Thef. Anecd. Noviss. T. I. P. 1. col. 43. collato Cod. Monast. Zwetlens. qui tamen, uti noster, nec Prologum versu hexametro scriptum habet, et in iisdem pene verbis ad calcem deficit. Contulisset certo etiam Pezius nostrum Exemplar, si aliquam illius notitiam habuisset.

LXXIII. VII H. 47.

Codex chartaceus lat. Sec. 719 XVI. Folior. 17. 4. continet *Explicationes in librum Genesis Reverendissimi in Christo Patris Domini Hieronymi Vielmi, eximij sacrae Theologiae D. et Episcopi Argolicensis. Lectio Prima. Initium: Autor ejus libri quem aggredimur explicare, omnium consensione est Moses, natione Hebreus, patria Gessemita &c. In nota marg. Hebraice uocatur משה Goschen &c. Lektionibus IV. non nisi ad verba Coelum et Terram exponenda pertingit iste Commentarius, et in Disputatione de Aeternitate Mundi*

di abrumpitur. Ante annum 1570. scribi debuit; nam hoc anno ad Ecclesiam *Aemoniensem*, cujus in Titulo supra nulla facta est mentio, translatus est Autor vir doctus ex O. P. *Venetus*, mortuus a. 1582. cum antea *Patavinas* Cathedras non exiguo tempore ornasset, ut pluribus habes apud Ordinis Bibliothecarios T. II. p. 264. *Explicationes* nostrae retractatae, multumque auctae lucem videre posthac *Venetiis* apud *Iuntas* 1575. 4. inscriptae: *De Sex Diebus conditi Orbis Liber*. Aliud *Vielmi* Opus de *D. Thomae Aquinatis doctrina et scriptis* Libris II. post edit. *Patav.* 1564. et *Venet.* 1575. rursus luci redditum est *Viennae* 1763. 4.

LXXIV. VIII A. 18

52 Codex membraneus lat. Sec. XII. aut XIII. Folior. 232. f. per duas columnas luculente scriptus, literis initialibus et Librorum titulis miniatis comprehendit *Radulphi*, alias *Rodulfi* s. *Rudolfi* Mo-

nachi Flaviacensis, *Floriacensis*, reipsa *Flaicensis Commentariorum in Leviticum Libros XX*. Praecedit ejusdem aetatis, simulque compactus *Sermo de beata virgine maria* hoc initio: *Creatoris matrem omnis creatura magnificet &c.* hocque termino: *cui laus et gloria et gratiarum actio in sempiterna secula. Amen.* Dein *Incipit tractatus super Leviticum*. Cum inter *Socios aliquando sermo de iudeorum contentionibus haberetur &c.* Prologus hic etiam distributionem totius Operis in Libros et Capita exhibet, finiturque: *seu per eos in populo tradit dispensanda*. Habent et subsequi Libri Praefationes suas exceptis II. III. V. IX. X. XI. XIII. XVIII. et XX. Praefationem *Octavi* sic orditur Scriptor: *Quarta iam uoluitur estas, tertia consumpta est, in qua uariis occupationibus distracti multisque anxietatibus fatigati opusculo huic nostro nichil contulimus*. Calx Codicis hanc rubricam habet: *Explicit tractatus Rudolphi super Leviticum*. Tum hi versus consequuntur:

*Te duce rex superum uicit certamina miles
Cursor iter. pelagum nauita. scriptor opus.
Fercula rodulfi sacra delata popina
Apposui. posita sumere docte ueni
Edificant. faciant. leuitica facta figurant.
Verbera dura patris. vbera matris habent.*

Floruit *Radulphus* noster teste *Alberico* trium *Fontium* Monacho in *Chronico* ab *Leibnitio* *Access. hist.* T. II. p. 329. et *Menckenio* *Script. Rer. Germ.* T. I. p. 37. edito circa an. 1157. in *Coenobio* O.

S. B. *Flaicensi* (*S. Germer de Flaix*) dioeceseos *Bellovacensis*. Monachus *Cisterciensis* erat *Albericus*, hincque *Radulphum* ex habitu colore monachum *nigrum* appellat; unde errorem ortum esse